

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Des. Erasmi Familiarium colloquiorum opus

Erasmus, Desiderius

[Heidelberg], [ca. 1615]

Consabulatio pia. Erasmvs Gaspar

[urn:nbn:de:bsz:31-109179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109179)

dum sit in bello, ibi potissimum valent, qui sese cursu pedum & natatu exercuerunt. L. *Artem narras haudquaquam aspernandam. Neque enim minus laudis est aliquando bene fugere, quam fortiter pugnare.* V. *Sum planè rudis & imperitus natandi: nec sine periculo versamur in alieno elemēto.* L. *Sed assuescere oportet: nemo nascitur artifex.* V. *At ego istius generis artifices permultos audio natasse, sed non enatasse.* L. *Experieris primum innixus (c) suberi.* V. *Nec suberi fido magis quam pedib, si vobis cordi est natatio, spectator esse malo quam certator.*

(a) Saburra, onus navis, quo libratur adversus fluctus. Et Plautus Saburratas vocat saturas. (b) Empulse, Spectrum est apud Aristophanem, quod apparet unica tibia, unde & Græci nomen dedere. (c) Apud Virgiliū lib. 5. (d) Amphibia dicuntur, quæ simul & in aqua vivunt & in terra, ut crocodilus, anates, & similia. (e) Corcicis genus semper fluens: unde qui discunt natare, subjiunt pectori. Hor. Nabis sine cortice.

Confabulatio pia.

ERASMVS. GASPAR.

E. Unde nobis prodixit? è popina quapiam? G. *Bona verba.* E. è sphaeristerio? G. *Ne hoc quidem.* E. *Ex œnopolio?* G. *Nequaquam.* E. *Quando non assequor divinando, dic ipse.* G. *Ex ade Virgini matri sacrâ.* E. *Quid illic tibi negotii est?* G. *Salutem dixi nonnullis.* E. *Quibus?* G. *Christo, ac divinis aliquot.* E. *Religiosior tu quidem es quam pro etate.* G. *Imò nullam etatem non decet religio.* E. *Si cupiam esse religiosus, patiar mihi injici cucullam.* G. *Atque ego idem faccerem, si quantum calor adfert.*

adfert, tantundem pietatis adferret cuculla. E. Ajunt vulgò pueros angelicos in Satanam verti, ubi consenuerint. G. Sed ego pro verbum istud ab autore Satana natum arbitror. Imò vix existimo senem esse verè pium, nisi qui à teneris annis assueverit. Nihil facilius discitur, quàm quod ab ipsa statim pueritia discitur. E. Quid igitur est religio? G. Est purus cultus numinis, & observatio preceptorum illius. E. Quæ sunt illa? G. Longum est: sed ut in summa dicam, in rebus quatuor est sita. E. In quibus? G. Primum, ut rectè pieq; sentiamus de Deo, de scripturis divinis: atque ut illum non vereamur modo tanquam dominum, verum etiam amemus ex intimis affectibus, ut patrem beneficentissimum. Secundum, ut summa cura tueamur innocentiam; ea est, ne quem ledamus. Tertium, ut teneamus charitatem, hoc est, ut de omnibus, quantum datur, bene mereamur. Quartum, ut servemus patientiam. Ea præstat, ut mala nobis illata, si mederi nequeamus, patienter toleremus, non ulciscentes, nec malum malo referentes. E. Ne tu probus es concionator. Sed præstas ista, quæ doces? G. Equidem adnitor pro meâ virili. E. Qui potes pro virili, quum sis puer? G. Meditor pro viribus, & quotidie mecum in eo (a) rationem: si quid cessatum fuerit, corrigo: illud præter decorum, hoc dictum petulantius, hoc factum incircumspectius: hoc taceri præstiterat, illud omissem. E. Quando subducitur ista ratio? G. Ferme sub noctem, aut si quando magis vacat. E. Sed agè,
die

dic mihi, quibus studiis totum transigis diem? G. Nihil celabo tam fidum sodalem. Mane simul atque sum expergefactus (id ferè fit ad sextam, aut quintam) pollice signum crucis pingo in fronte & in pectore. E. Quid deinde? G. Auspikor initium diei in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti. E. Pie sanè. G. Mox paucis saluto Christum. E. Quid illi narras? G. Ago gratias, quod eam noctem mihi voluerit esse prosperam, precorque, ut diem itidem illum totum mihi bene fortunet, ad ipsius gloriam, & anima mea salutem, ut q̄, is, qui est vera lux, occasum nesciens, sol aternus omnia vivificans, alens, exhilarans, dignetur illucescere menti mea, ne usquam impingam in ullum peccatum, sed ipsius ductu perveniam ad vitam aeternam. E. Haud inauspicatum diei exordium. G. Deinde salutatis parentibus, quibus secundum Deum primam debeo pietatem, cum tempus est, confero me ad ludum literarium: sed ut per templum, si commodum est, sit mihi transitus. E. Quid illic? G. Rursus tribus verbis saluto Iesum, ac divos divasq̄ omnes, sed nominatim virginem matrem, tum eos, quos habeo mihi peculiare. E. Ne tu mihi probè legisse videris illud Catonis, saluta libenter. Non sat erat mane salutasse, nisi mox de nno salutare? Annon vereris, ne molestus sis immodico officio? G. Amat Christus subinde appellari. E. Sed ineptum videtur alloqui, quem non vides. G. Nec eam mei partem video, quâ illi loquor. E. Quâ? G. Animo. E. Sed otiosum est salutare non

non resalutantem. G. Resalutat frequenter arcano
 afflatu. Denique abunde resalutat, qui dat quod
 petitur. E. Quid hic ab illo flagitas? Nam video
 tuas salutationes esse petaces, cuiusmodi ferè sunt
 mendicorum. G. Sanè non procul aberras à scopo.
 Precor enim, ut qui puer duodecim annos natus, se-
 dens in templo docuit ipsos doctores: cuiq; pater cœ-
 litus emissâ voce dedit auctoritatem docendi mor-
 talium genus, cum diceret; Hic est filius meus di-
 lectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite;
 cuiq; est æterna sapientia summi patris: illustrare
 dignetur ingenium meum ad perdiscendas hone-
 stas literas, quibus utar ad ipsius gloriam. E. Quos
 autem habes divos tibi peculiâres? G. Ex apostolis,
 Paulum: ex martyribus, Cyprianum: ex doctoribus,
 Hieronymum: è virginibus, Agnetem. E. Quæ res
 illos tibi conciliarit? electio, an casus? G. Sortito
 obtulerunt. E. Atqui istos nihil aliud quam salu-
 tas? An ab his quoq; mendicas aliquid? G. Precor,
 ut me suis suffragiis Christo commendent, effici-
 antiq; ut illius munere aliquando contingat, in
 ipsorum venire contubernium. E. Sane rem non
 vulgarem petis. Quid tum postea? G. Ad ludum
 propero, & quod is locus postulat, toto ago pecto-
 re. Sic enim imploro Christi presidium, quasi ci-
 tra illius opem nihil efficiat nostrum studium; sic
 studeo, quasi ille nihil auxilii sit laturus, nisi gna-
 viter laboranti. Ac modis omnibus do operam, ne
 meritò vapulem, ne quid dicto, factore, vel pre-
 ceptorem offendam, vel sodales meos. E. Probus es,
 cum.

cum ista cogitas. G. Cum dimissus a ludo domum, propero, rursus, si licet, per eadem sacram iter facio, rursusq; tribus verbis saluto Jesum. Si quid est obsequii praestandum parentibus, obeo. Quod si quid etiam superest temporis: mecum, aut cum sodali repeto, quod praelectum est in schola. E. Ne tu perparcus es temporis. G. Nec mirum, si parcus sum rei, ut multo pretiosissima, ita irrecuperabilis. E. At Hesiodus docet, in medio parcendum esse, in principio praeproperam, in fine seram esse parsimoniam. G. Recte Hesiodus de vino: sed etatis nulla est intempestiva parsimonia. Dolium si sinas, non exhauritur. At etas nunquam non defluit, siue dormias, siue vigiles. E. Fateor: sed quid deinde geritur? G. Adornata parentibus mensa, recito consecrationem: deinde praeudentibus ministro, donec jubeor & ipse prandium sumere. Actis gratias, si quid vacat, lusu quoque opiam honesto laxo animum cum sodalibus, donec hora revocat in ludum a lusu. E. Ac rursus salutatur Iesus? G. Salutatur, si commodum est. Sin est cur non vacet, aut non sit tempestivum, tamen praeteriens templum, cogitatinncula saluto. Rursus in ludo totis viribus hoc agitur, quod locus postulat. Domum reversus, idem ago quod ante prandium. A cena suavis fabulis memet oblecto, mox prosperam noctem precatus parentibus ac familia, mature me confero ad nidum: illic flexis ante lectum genibus, mecum, ut dixi, reputo, quibus studiis is dies peractus sit. Si quid est gravioris admissi,

Christi

Christi clementiam imploro, ut ignoscat, polliceorq;
 meliora: si nihil est, ago gratias illius beneficentia,
 quod me servavit ab omni vitio. Deinde me totum
 illi toto pectore commendo, ut me protegat ab insi-
 diis mali genii, & ab obscænis somniis. His factis
 lectum ingressus, frontem ac pectus signo crucis i-
 magine, ac me compono ad somnum. E. Quo pacto
 te componis? G. Nec pronus cubo, nec supinus: sed
 primum lateri dextro innitens, brachiisq; ita trans-
 versim seu decussatim complicatis, ut pectus mu-
 niant figura crucis, dextra manu sinistro admota
 humero, laeva dextro; Ita dormio suaviter, donec
 expergiscar ipse, aut exciter. E. Sanctulus es, qui
 ista possis. G. Imò stultulus es, qui ista dicas. E. Lau-
 do institutum, si queam assequi. G. Velis tantum-
 modo. Nam ubi assueveris pauculos menses, erunt
 hæc etiam suavia; adeò vertentur in naturam.
 E. Sed nihil audio de sacris. G. Nec hæc parte mi-
 hi desum diebus præcipuè festis. E. In his quomo-
 do te geris? G. Primum omnium excutio meipsum,
 num qua labe peccati sit animus contaminatus. E.
 Id si comperias, quid tum? subducis te ab altari?
 G. Nequaquam corpore, sed animo me submoveo,
 ac veluti procul stans, nec audens attollere oculos,
 ad Patrem Deum, quem offendi, tundo pectus
 meum, dicens illud ex Evangelio cum publicano:
 Domine propitius esto mihi peccatori. Deinde si
 sensero, quempiam offensum à me, eum curo pla-
 candum e vestigio, si licet: sin minus, statuo in ani-
 mo mihi, cum primum licebit, reconciliare proxi-
 mum.

T. **FAMIL. COLLOQVIA.** 5

*num. Si quis offendit me, remitto vindictam, dog-
operam, ut qui lesit, agnoscat errorem suum & re-
sipsit. Sin ejus rei nulla spes est, vindictam
omnem Deo relinquo. E. Istud durum est. G. An
hoc durum, condonare levem noxam fratri tuo, cu-
jus ignoscentia tibi mutua sit frequenter opus, cum
Christus omnia commissa nostra nobis semel con-
donarit, & quotidie condonet? Imò mihi videtur
hac non esse liberalitas in proximum, sed sæneratio
apud Deum: perinde quasi conservus ex pacto re-
mittat conservo tres drachmas, ut ipsi dominus con-
donet talenta decem. E. Perpulchre tu quidem phi-
losopharis, si modo certum sit, quod ais. G. An-
postulas aliquid certius evangelicâ cautione? E.
Non est æquum. Sed sunt qui se non credant esse
Christianos, nisi quotidie missam, ut appellant, au-
dierint. G. Horum institutum equidem non da-
mno, præsertim in his qui abundant otio, qui ve to-
tos dies occupantur profanis negotiis. Tantum illos
non approbo, qui superstitiose sibi persuaserunt,
diem fore parum faustum, nisi fuerint eum auspi-
cati à missa: & statim à sacro se conferunt vel ad
negociationem, vel ad prædam, vel ad aulam: ubi si
quod per fas nefasq; gerunt, successerit, missæ impu-
tant. E. Suntne qui sic desipiant? G. Magna pars
hominum. E. Sed redi ad sacrum. G. Si licet, ad-
sto vicinus altari sacro, quò percipere queam ea,
quæ sacrificus recitat, præsertim Epistolam & Eu-
angelium. Ex his aliquid conor decerpere, quod
infigam animo meo: id mecum aliquandiu (b) ru-
E mino.*

mino. E. Nihil interim oras? G. Oro, sed cogitatione magis, quàm strépitu labiorum. Ex his, quæ recitat sacerdos, arripio precandi occasionem. E. Dic istud explanatius: nam non satis assequor, quid velis. G. Dicam. Finge recitari epistolam: Expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Ad hæc verba sic mecum loquor Christo: Utinam verè sim azymus purus ab omni fermento malitiæ. Sed tu Domine Iesu, qui solus es ab omni malitia purus ac sincerus, largire, ut indies & ipse magis expurgem vetus fermentum. Rursum, si fortè legatur Evangelium de seminante semen suum, sic oro mecum: Felix ille, qui meretur esse terra bona, precorque, ut me ex terra parum frugifera, suâ benignitate faciat terram bonam, sine cuius beneficio nihil omnino bonum est. Sint hæc exempli causâ dicta. Nam singula persequi prolixum sit. Sed si cōtingat sacrificus mutus, quales multos habet Germania, aut non detur adesse propius altari; ferè libellum paro, in quo descriptum sit ejus diei Evangelium & Epistola, inde ipse aut pronuncio, aut oculis lego. E. Intelligo. sed quibus cogitationibus potissimum transmittis hoc tempus? G. Ago gratias Jesu Christo, pro ineffabili charitate, quod genus humanum suâ morte redimere dignatus est: & oro, ne patiatur suum sacrosanctum sanguinem pro me frustra fustum esse: sed suo corpore semper pascat animam meam, suo sanguine vivificet spiritum meum, ut paulatim adolescens virtutum auctibus, efficiar idoneum.

FAMIL. COLLOQVIA. 67

nenim membrum corporis illius mystici, quod est Ecclesia: nec unquam deficiam ab illo sanctissimo fœdere, quod in extremâ cœnâ, distributo pane, & porrecto poculo, pepigit cum discipulis suis electis, & per hos cum omnibus, qui per baptismum in societatem illius insiti sunt. Quod si sensero vagari cogitationem, lego psalmos aliquot, aut aliud quippiam, quod animum meum plus adficiat quam illa psalmorum recitatio. E. Quid de jejunando? G. Cum jejunio mihi nihil est negotii. Sic enim me docuit Hieronymus, non esse valetudinem atterendam jejunii, donec corpus attente robur justum collegerit. Nondum autem egres- sus sum annum decimum septimum. Sed tamen, si sensero opus esse, prandeo cœnoque parcius, quò me prebeam alacriorem studiis pietatis per diem festum. E. Postea quam cœpi semel expiscabor omnia. Quomodo affectus es erga conciones? G. Optime. Ad has non minus religiosè accedo, quam ad sacram Synaxin. Et tamen deligo, quos audiam. Sunt enim, quos prestat non audisse. Quod si talis contingit, aut si nemo contingit, tempus hoc transigo sacrâ lectione: lego Evangelium & Epistolam, cum interpretatione Chrysostomi, aut Hieronymi, aut si quis alius occurrit pius ac doctus interpres. E. Sed magis adficit vi- va vox. G. Fateor, & audire malo, si detur con- cionator tolerabilis: sed, non videor omnino ca- ruisse concione, si Chrysostomum aut Hierony- mum scripto loquentem audiero. E. Non opinor.

E 2 Sed

Sed quid te delectat confessio? G. magnoperè: nam confiteor quotidie. E. Quotidie? G. Sic est. E. Alendus est igitur tibi proprie sacerdos. G. Sed illi confiteor, qui verè solus remittit peccata, cui est potestas universa. E. Cuinam? G. Christo. E. an istud sat esse putas? G. Mihi quidem sat esset, si sat esset proceribus Ecclesie & consuetudini recepta. E. Sed quos tandem appellas Ecclesie proceres? G. Pontifices, Episcopos, Apostolos. E. Et inter hos annumeras Christum? G. Is est omnium sine controversia (c) colophon. E. Et huius receptæ confessionis auctor? G. Is quidem auctor est omnis boni: sed an ipse instituerit hanc confessionem, qualis nunc est in usu Ecclesie, Theologis excutiendum relinquo: mihi puero & idiota sufficit majorum auctoritas. Hæc est certè præcipua confessio: nec est facile, confiteri Christo. Non confitetur illi, nisi qui ex animo irascitur suo peccato. Apud illum expono deplorog, si quid admisi gravius: clamo, lachrymo, ploro, meipsum execror, illius imploro misericordiam, nec finem facio, donec sensero peccandi affectum penitus expurgatum è medullis animi, & succedere tranquillitatem aliquam & alacritatem, condonati criminis argumentum. Atque ubi tempus invitatur, ut adeam sacrosanctam mensam corporis & sanguinis Dominici, confiteor & sacerdoti, sed paucis, & non nisi ea, qua certo videntur crimina, aut ejusmodi, ut vehemens suspicio sit, crimen esse. Neque vero protinus arbitror esse piaculum, hoc est, enorme crimen, quod admittitur adversus

quas

quaslibet constitutiones humanas, nisi contemptus accesserit malitiosus. Imò vix arbitròr crimen capitale, cui non sit adjuncta malitia, hoc est, perversa voluntas. E. Laudo quod sic es religiosus, ut tamen superstitiosus non sis. Hic quoque puto locum esse proverbio: Nò omnia, nec passim, nec quibuslibet.

G. Deligo mihi sacerdotem, cui credam arcana pectoris. E. Istud est sapere. Sunt enim permulti, quod compertum est, qui, quod accipiunt in confessionibus, effutiunt. Sunt improbi quidam & imprudentes, qui percontantur a consistente, quæ præstiterat tacuisse. Sunt indocti & stolidi, qui obfurdum quæstum præbent aurem verius quam animum, quum nec dijudicent inter noxiam & rectè factum, nec docere possint, nec consolari, nec consolare. Hac sic habere frequenter audi vi ex multis, & ipse partim expertus sum. G. Et ego nimium. Proinde deligo mihi virum non indoctum, gravem, spectatae integritatis, lingua continentis. E. Profectò felix es, qui ista mature sapere cœperis. G. Denique illa prima mihi curarum est, ne quid committam, quod cum periculo credam sacerdoti. E. Nihil melius, si quidem possis cavere. G. Nobis quidem difficilimum est, sed, auxiliante Christo, facile est. Primum est, ut adsit bona voluntas. Eam mihi subinde renovo, præsertim diebus dominicis. Deinde subduco meipsum pro viribus ab improborum consortio, & sodalibus integerrimis me adjungo, quorum convictu fiam melior. E. Rectè tibi consulis. Corruptunt enim mores bonos collo-

E 3 quia

quia prava. G. Otium ceu pestem quandam fugio. E. Nec mirum: nam nihil malorum non docet otium. Sed, ut nunc sunt hominum mores, solus vivat oportet, qui velit abesse à malorum consortio. G. Non omnino vanum est, quod dicis. ^{Plures enim mali, ut} ~~Plures enim mali, ut~~ ^{Græcus ille sapiens dixit.} ~~Græcus ille sapiens dixit.~~ Sed ex paucis optimos deligo. Et probus sodalis nonnunquam sodalem reddit meliorem. Viro lusus, qui provocant ad nequitiam; utor innoxius. Comem me prebeo omnibus; sed familiarem non nisi bonis. Quod si quando incidero in malos, aut corrigo blandè monendo, aut dissimulo, toleroque, si videor non profecturus; certe, cum primum licet, memet ab ipsis suffuror. E. Nunquamne titillavit animum tuum libido capiunda cuculle? G. Nunquam: sed crebrò sollicitatus sum à quibusdam, ab hoc seculo, velut a naufragio, ad portum monasteriorum vocantibus. E. Quid ego audio? Captabant prædam? G. Miris technis adorti sunt & me & parentes. Sed mihi stat sententia, non addicere me vel matrimonio, vel sacerdotio, vel instituto monachorum, aut ulli vite generi, unde post me non queam extricare, prius quàm mihi fuero pulchre notus. E. Quando istuc erit? G. Fortasse nunquam. Sed ante annum vigesimum octavum nihil statuetur. E. Quur ita? G. Quia audio passim tam multos sacerdotes, monachos, & maritos deplorantes, quod sese temerè præcipitarint in servitutem. E. Cantus es, qui capi nolis. G. Interim tria mihi cura sunt. E. Quanam ista? G. Ut proficiam.

ficiam in probitate morum. Dein, si id nequeam, certe tuear ilibatam innocentiam ac famam. Postremo paro mihi bonas literas ac disciplinas, in quovis vita genere futuras usui. E. Sed interim a poetis abstinēs? G. Non in totum, sed castissimos quosq; potissimum lego. Quod si quid inciderit parum verecundum, prætercurro, quemadmodum Vlysses obitutus auribus Sirenas præternavigavit. E. Sed cui interim studiorum generi te potissimum addicis? Medicina, Iuri Casario aut Pontificio, aut Theologia? Nam lingua, bona litera, philosophia, pariter conducunt ad omnem professionem. G. Non dum ulli me planè addixi, sed ex omnib. gustum aliquem capio, ne cuiusquā planè sim rudis, utq; degustatis singulis certius eligam, cui sim accomodus. Medicina ubivis terrarum certissimum viaticum est. Iurisprudentia viā aperit ad dignitates. Theologia mihi cum primis placeret, nisi me mores quorundam & morosa inter ipsos contentiones offenderent. E. Nō facile labitur, qui sic pedetentim incedit. Complures hisce temporibus abstinēt à Theologia, quod verecūtur, ne vacillent in fide Catholica, quum videant nihil non vocari in quæstionē. G. Ego quod lego in sacris literis, & in Symbolo, quod dicitur Apostolorum, summa fiducia credo, nec ultra scrutor. Cetera permitto Theologis disputanda ac definienda, si velint. Si quid tamen receptum est usu populi Christiani, quod non planè pugnet cum sacris literis, hætenus servo, ne cuiquam sim offendiculo. E. Quis (d) Thales te docuit istam philosophiam?

E + G. Fuit

E. Fuit mihi admodum puero consuetudo domestica cum integerrimo viro Joanne Coletō. Nostin hominem? E. Quid nī? tanquam te. G. Is eam aetatem huiusmodi praeceptiunculis imbuīt. E. Non inuidebis, si me praebeam amulū instituti tui? G. Imō istoc nomine mihi futurus es multō charior. Scis enim, similitudine morum conglutinari familiaritatem ac benevolentiam. E. Verum: sed non inter competitores ejusdem magistratus, quū simili laborent morbo. G. Nec inter ejusdem sponsa-procos, quū pariter laborent amore. E. Sed extra jocum: experiar imitari rationem istam. G. Precor, ut tibi vertat quā optime. E. Fortassis adsequar te. E. Utinam & praecurras. Sed interim non opēriar te, quū ipse quotidie me ipsum superare contendo: sed tamen adnitere, si pōies, ut antevertas.

(a) Metaphora ducta à calculatoribus. (b) Lepide translatum à pecoribus ruminantibus. (c) Colophon, præcipuus & caput. (d) Thaleti primas tribuunt inter sapientes.

Venatio. *Colloq. Helo. p.*

PAVLVS. THOMAS. VINCENTIVS.
LAVRENTIVS. BARTHO-
LVS.

P. (a) Trahit sua quēq; voluptas: mihi placet venatio. T. Placet & mihi: sed ubi canes, ubi venabula, ubi casses? P. Valeant apri, ursi, cervi, & vulpes: nos insidiabimur cuniculis. V. At ego laqueos injiciam locustis. Insidiabor gryllis. L. Ego
ranas